DE

FEBRIS NERVOSAE
CAUSA PROXIMA ET DIFFERENTIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA NEC NON ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS

DIE XV. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVIII

PUBLICE DEFENDET

1838

AUCTOR

FR. E. G. BERNDT

GRYPHISWALDENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. WEBER, MED. ET CHIR. DRD.
C. SCHWUBBE, MED. ET CHIR. DRD.
H. GLUBRECHT, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO, BENIGNISSIMO

SACRUM ESSE VOLUIT

FILIUS.

ὥς κέν τοι ἀπὸ θρεπτήρια δοίην.

HOMER.

Antiquus est, Dilectissime Pater, et pius mos, ut quae homines sive terrae fertilitate, sive belli fortuna seu quocunque alio modo sibi comparant, eorum partem grati animi testificandi causa aut summo numini, aut reipublicae, aut singulis denique hominibus sacram esse velint. Abs qua consuetudine quominus recedam, quum pietatis sensu, qui pectori inest nostro prohibear, etiam si filius non essem Tuus, tamen Tua de mea institutione

merita me admonere debent, ut Tibi has eruditionis meae primitias sincero dedicem animo. Te enim non solum duce, verum etiam comite artis nostrae campos adii, cujus sacerdotem me

„per varios casus, per tot discrimina rerum"

religiosum ac pium futurum hoc libello profiteor. Quem quaeso obtestorque pro insigni Tuo erga Tuos amore ita accipias, ut me pro virili parte in iis, quae inchoavi studiis elaboraturum Tibi persuasum habeas.

PRAEFAMEN.

Quod vulgo quidem de hominibus dicitur et jure dicitur: „trahit sua quemque voluptas" etsi recte se habet, tamen pari jure generosum animum difficultate rei delectari et trahi contendere licet. Quae difficultates cum in omni doctrina totaque vita hominem circumveniunt incautumque adeo opprimunt, tum in re medica in iis potissimum morbis apparent, in quibus propter causalitates occultas accurata scientia et acuta meditatio flagitatur. Quo autem major difficultas, eo amplior laus et gloria periculi propulsati. Jam in ejusmodi morbis febrem nervosam haud infimum obtinere locum quis negaverit?

Itaque quum ego patre usus duce plures homines febre nervosa graviter afflictos non solum oculis usurparem, verum etiam ipse morbum curarem et fere omnes hos aegrotos praeter meam ipsius spem sanari expertus essem, novitate rei motus huic potissimum morborum generi cognoscendo operam dedi ita, ut de eo sententiam meam qualemcunque publice proponere instituerim.

Restat igitur nihil, nisi ut Lector Benevolus, argumenti difficultate, quae quo altius in idem inquirere coepi eo major mihi visa est, si passim erraverim, ea qua par est humanitate excuset.

I. De febre ejusque differentiis essentialibus generatim agitur.

§. 1.

Febris nervosa quum speciem universae febris efficiat, necesse erit ut de genere morbi, quam febrem vocant, generatim disseram.

Et res ipsa et historia docet febrem omni tempore tanquam peculiare morborum genus inventam esse, quippe quae singulare turbationis processus vitalis sit genus, idque non solum apud homines, verum apud multa animalia, quocirca, praecipue si id tractatur, quod postea fieri debet, quam rationem habeat ad vitalitatem organicam, febrem animali vitae processui omnino propriam esse colligere possumus.

Improbus esset labor et cui unius hominis, ne dicam tironis, vires vix sufficerent, inde ab *Hippocrate* omnes definitiones referre, quas de febre, et quod adtinet ad notionem formalem et ad ejus essentiam, fecerunt medici, quin etiam hodie desideratur definitio formalis ab omni parte perfecta,

quam hoc loco omittere eo magis libet, quo accuratior quaestio ad hanc rem requiritur. Satis igitur habeo ad consilium meum exsequendum formalem notionem febris ita fere definisse:

„Esse processum morbi universalem nitentem „in vitalitate organica totius organismi, qui cer„nitur in abnormi condicione motus sanguinis „et temperaturae corporis, in turbatione sensus „communis, quae cum illa conjuncta est, vis „vegetativae organismi et secretionum huc per„tinentium, qui vero processus morbi pendet a „typicis quibusdam legibus generalibus.“

Quod autem adtinet ad internam febris causam, vires meas ad accuratiorem enumerationem hypothesium hac de re factarum multo minus sufficere arbitror, qua re contentus ero eas vias generatim demonstrare, quas medici in indaganda causa proxima febris ingressi sunt.

§. 2.

1) Tango primum theoriam febris apud *Hippocratem*, quae quum arcte conjuncta sit cum ejus theoria medicinae ipsius, etiam de hac mihi loquendum erit.

Theoria *Hippocratis* pendet in principiis a philosophia *Empedoclis*, qui quatuor elementa docebat, quorum analogiam in corpore animali sanguinem, pituitam, flavam et atram bilem praebere *Hippocrates* existimabat. Ex his censet proprie constare mate-

riem animalem. Ex schola pythagorica arcessivit principium dynamicum, calorem innatum, cujus ex connexu cum illis humoribus vita existat. Carebat *Hippocrates* accuratiore cognitione corporis et scientia physiologica sufficiente, neque cognoverat, quam arcte scientia naturalis cohaereat cum medicina. Itaque, quod in his rebus deficiebat, compensare studuit subtili et accurata observatione et contemplatione earum rerum, quae usu cernuntur, qua in re *Hippocratis* medicina perpetuo digna est, quam imitemur. Itaque *Hippocrates*, quum abesset a subtiliori theoria et cognitione causalitatis et connexus naturalis, profitetur sese credere secretam quandam esse et ab incognitis rebus proficiscentem vim in natura. Subtilissimus naturae perscrutator non potuit non intelligere organismum, dum nihil studet, nisi ut recta sit ratione et sese ipse conservet, saepissime ipsum morbos depellere, itaque secretam quandam vim naturae medicatricem in corpore vigere et cum morbi causa pugnare autumavit, quam de morbi processu hypothesin etiam in febrem adhibet.

Febrem, quam proficisci putat ex praevalente bilis auctoritate, esse judicat utilem naturae conatum perniciosae materiei expellendae, qua in re tria stadia, primum cruditatis, alterum coctionis et tertium criseos constituit [1]). Haec theoria febris, ex qua nihil est nisi conatus sanantis naturae, ne recentiori quidem tempore evanuit, quo tempore acerrimum

1) Hippocratis liber *ΠΕΡΙ ΧΥΜΩΝ*.

ejus propugnatorem sese praebuit *Sydenham* [2]). Doctrina de diebus criticis et crisibus febris cum ea conjuncta est. Materialem causam febris et proxime de febre per bilem creata etiam apud *Galenum* legimus [3]), ita ut haec ab *Hippocrate* profecta theoria primaria sit de febribus.

2) Ab accuratiore chemiae notitia processit altera de febribus opinio, quae varie immutata est cum ipsa chemia, prout haec exiens ab Alchymia exculta est usque ad tempus, quo imponderabilium doctrina est constituta. Quam ad rem fere haec pertinent: *Paracelsus* [4]) explicat febrem ortam esse ex effervescente sanguine, in quo sulphur praevaleat; *Helmont* [5]) eandem ducit ex turba excitata per *Archaeum* effervescentem; *Sylvius* [6]) febrem nasci putat ex fermentatione elementorum acida vel alcali. Posteriore tempore a chemia, etsi paulo excultiore, hac in re profecti sunt *Ackermann*, *Reich*, *Bärens*, *Troxler*, nec minus *Prochaska* et *Meissner*, qui maxime electricitatem in febris formatione potentem esse censent.

3) Tertia theoria dynamica vocari potest, quae nascitur praecipue cum pathologia solidari et accu-

---

2) Sydenham prax. med. univers. Lipsiae 1711. p. 40. 41. 42. 104.

3) Galeni de febrium differentiis Lib. I. cap. IV. ed. Kühne.

4) Paracelsi fragmenta medica. p. 134.

5) Helmont ortus med. p. 769.

6) Fr. de la Boë Sylvii oper. med. Amstelod. 1695. — Meth. med. Lib. II. — Prax. med. Lib. I.

ratiore scientia ejus vis, quam systema nervorum exercet in processum vitalem. Longum est omnes medicos enumerare, qui hanc viam, etsi paullulum inter se dissentientes, ingressi sunt. Sufficiat commemorasse prima vestigia hujus doctrinae dynamicae in schola methodica inveniri (*Asclepiades*, *Celsus*), excultam autem eandem esse praecipue a *Willisio*, deinde a *Fr. Hoffmann*, *Cullen*, *Brown*, *Röschlaub*, *Halleri* autem doctrina de irritabilitate eandem insigniter modificatam, denique systemate Contrastimulismi et in Homoeopathia, quae ipsa degeneratio est theoriae dynamicae, nimia severitate deformatam esse.

4) Haud omittenda in febris theoria constituenda ea hypothesis est, ex qua febris sit semper signum reactionis, quod exeat ex topica affectione, itaque nihil sit, nisi symptoma affectionis topicae. Jamjam *Erasistratus* [7]) in doctrina de errore loci similia docuit. Postea *Marcus* [8]) rem accuratius pertractavit, quem secutus est *Dzondi* [9]) et, qui hanc theoriam maxime excoluit, *Broussais* [10]), qui negat existere morbum principio universalem. In Francogallia haec doctrina magno cum plausu accepta est; minus vero ei Germani favebant, et plures, ex quibus

---

7) Galeni de natura humorum comm. II.

8) Marcus Handbuch der praktischen Krankheitslehre. Th. 1. §. 64. 1818.

9) Dzondi Aphorismi de inflammatione. Halae 1814.

10) Broussais examen des doctrines médicales et des systèmes de nosologie. Paris 1821.

Spitta[11]) a me commemoretur, contra eam doctrinam febris essentialitatem contenderunt.

5) Ab his doctrinis febris sejungam hypotheses, ut ita dicam, magis commixtas, quae factae sunt ab illustrissimis medicis, qui eclecticen probabilem sequuntur. Quas quum singulatim enumerare longum sit, tantum de formatione harum doctrinarum novissimo tempore nonnulla sunt observanda. Commemoro *Halleri* doctrinam de irritabilitate fibrae muscularis, quae doctrinam de nervorum vi in febre formanda coercebat. Nec omittenda videtur vim vitalem generalem subpositam esse profectam ex irritabilitatis doctrina, ex cujus abnormi auctoritate in vitae processum febrem nasci putabant. Commemoranda est *Bichatii* distinctio vitae organicae et animalis haud sine fructu in febris doctrina constituenda, atque etiam philosophia naturalis in hypothesibus de febre multum valebat.

Quum has varias doctrinas uberius explicare a consilio meo abhorreat, ea, quae hucusque a me dicta sunt, hunc solum finem habent, ut viam mihi muniant ad doctrinam meam de febre explicandam, ex qua paucis exposita febris nervosae definitionem derivabo.

§. 3.

Complectitur homo varias vitae formas. Ex organismo suo vitam suscipit organicam universam,

11) Ueber die Essentialität des Fiebers, ein pathologischer Versuch von H. Spitta, Göttingen 1823.

quae ad reproductionem, integritatis et generis conservationem reducenda et generale est fundamentum cujusque alterioris vitae manifestationis. Apparent vero in homine etiam animalis vitae vestigia, quae et cernitur in nervorum systemate per sensum et motum, et in organorum functionibus compositis per illud systema vigentibus; denique psychica vis commemoranda, qua homo summum inter animalia locum obtinet. Tamen haec tam perfecta vita generali organica vita nititur, ita ut sit quasi flos hujus vitae. Tota denique vita, quae complectitur has singulas vitae formas, pendet ex vita universi, id est cosmica et tellurica vita, et materies vitae organicae transeunt in elementa tellurica et in combinationes binarias, quae his elementis sunt propriae.

De differentiis vitae cosmicae, telluricae et epitelluricae, quatenus innumerabiles habent modos, uberius agere, a consilio meo abhorret, etsi res ipsa sanequam pertinet ad formationis febris illustrationem.

Quodsi igitur symptomata febris simplicis ad internam causam reducimus, intelligimus febrem esse discessum a normali condicione in ea vitae processus parte, cujus ratio est reproductio et integritatis conservatio, ex quo discessu vita animalis modo eatenus afficitur, quatenus perceptio mutatae tensionis telae organicae ad eandem pertinet.

Sita igitur est febris in abnormi condicione vitae organicae et quidem totius organismi, pariter atque inflammatio localem ejusmodi abnormitatem vitae organicae repraesentat. Ex quibus generalis ap-

paret necessitudo febrem inter et inflammationem. Generalis modus, secundum quem haec abnormis condicio vitae organicae sensu percipitur, habenda est, symptomatis febris apparentibus, aucta ejus frequentia. Quum autem sanguine quasi nutriatur et alatur vita organica corporis animalis, dicere licet proximam generalem internam febris causam in condicione vitae sanguinis a norma discedente et ad abnormem frequentiam aucta quaerendam esse, quippe quod per hunc solum materiei organicae vita sustentetur. Quocirca meram febrem, quae causas suas unice in systemate vasorum habet, febrem vasorum vocarunt.

Quodsi autem processus febris in formatione sua progreditur, in condicione vitae organismi animalis certi modi continentur, in quibus degeneratio processus morbi fieri potest. Una ex parte influxu abnormis condicionis vitae organicae etiam animalis vita morbo afficitur, ex quo illa febrium species existit, quae propter apparentem abnormem condicionem functionum systematis nervorum febris nervosa appellatur. Altera vero ex parte collapsus vitae sanguinis efficit, ut materies organica et maxime quidem sanguis vitalitatis organicae legibus haud amplius obtemperans, in elementa tellurica transire atque dissolvi cupiat, qua ratione ea species febris existit, quam febrem putridam vocamus.

Febris vasorum, febris nervosa et febris putrida sunt igitur schemata cardinalia processus febris, quae censenda sunt sita in progressione ejusdem.

Itaque quum his, quae attuli, febrem ex essentia sua ad abnormem condicionem vitae organicae reduxerim et differentias essentiales ex progressione processus morbi natas commemoraverim, restat, ut de essentia hujus abnormis condicionis vitalitatis organicae paucis agam et speciales modos progressionis processus morbi accuratius explicem.

§. 4.

Primum haec abnormitas apparet in quantitate. Distinguendus enim est in mera febre una ex parte character hypersthenicus, qui est profectus a vita sanguinis supra modum aucta una cum vitalitatis organicae tensione cum ea cohaerente (Synocha medicorum recentiorum); altera vero ex parte processus febris characterem prae se fert asthenicum, quum sanguinis vita infra normam sit deminuta una cum tensione vitalitatis organicae (Synochus medicorum recentiorum).

Haud raro simul adest qualitativa laesio vitalitatis organicae praecipue causis specificis febrem excitantibus processui morboso addita, quae una cum quantitativo charactere exstat, et, prout causae speciales sunt, modo characteris hypersthenici, modo asthenici formationi favet, quin etiam degenerationi ad febrem nervosam et putridam.

Contemplantibus autem nobis, qualis esse debeat progressio processus morbi in charactere febris hypersthenico et asthenico, haec fere occurrunt: Fe-

bris hypersthenica adaucta sanguinis irritatione cum in telam organicam totius corporis, tum in substantiam nervorum, tensionem supra normam adauctam producit et laesiones functionis in vita animali obviae tantummodo sunt symptomaticae, quae secundum febris intensitatem modo deminuuntur, modo crescunt. In progressione morbi irritatio propter majorem sanguinis influxum in substantiam organicam ad inflammationem transit et morbi degenerationes haud raro ab influxu et sequelis inflammationis pendent, id quod in conformanda febre nervosa saepius accidit. Rarius quidem per nimiam vitae sanguinis incitationem, per exhaustionem ejus atque degenerationem febris character hypersthenicus in asthenicum commutatur, ex quibus omnibus satis tamen colligere possumus neque febrem nervosam, neque putridam characterem hypersthenicum prae se ferre posse, etsi multis in casibus ex eo progrediuntur.

Quum vero altera ex parte progressionem febris prosequamur characterem asthenicum prae se ferentis, nobis occurrunt degenerationes illae, quae jam antea commemoratae sunt, febris nervosa et febris putrida. Condicio enim mutua, quae inter vitam organicam atque animalem intercedit, ea laeditur ratione, ut una ex parte per prostratam sanguinis vitalitatem ejus etiam mixtio commutetur materiesque organica chemismo anorganico fiat obnoxia et inde novum febris elementum constituens accrescat, altera vero ex parte comminutus sanguinis in vitalitatem

organicam systematis nervosi influxus functiones nervorum variis modis, quorum indolem infra fusius exponam, labefactet atque prosternat. Tum functionum systematis nervosi laesiones symptomaticae esse desinunt et potius momentum processus morbosi essentiale atque necessarium constituunt. Sicuti vero febris asthenica saepe exoritur ex suppressa vitalitate, quae affectionibus localibus in organis nobilioribus efficitur, ita etiam formatio febris nervosae aut a sede aut a peculiaritate affectionis localis cujusdam, praecipue vero a causis specificis pendere potest, qua ratione oritur febris nervosa contagiosa (Typhus medicorum recentiorum). Denique hoc loco praetereundum non est conjunctionem status nervosi cum putrido in charactere febris asthenico interdum inveniri (febris nervoso-putrida et putrido-nervosa [12]).

II. De febre nervosa in specie agitur.

A. *De febris nervosae historia agitur.*

§. 5.

Eam febris speciem, quam nunc temporis propter proprium ejus characterem febrem nervosam appellamus, omni tempore exstitisse, colligere licet ex eo, quod de progressione processus febris disse-

12) Berndt's Fieberlehre. Bd. I. von Seite 69—81.

ruimus, et ipsa febrium historia manifestissima dat documenta. Verum quam arcte cohaereant hae febres cum systemate nervorum antiquiore tempore non indagatum, id quod ne fieri quidem potuit propter scientiae physiologicae tenuitatem. *Willisius*[13]) primus utebatur nomine febris nervosae. Dicit: „Porro saepius observavi febres quasdam anomales increbuisse, in quibus, sanguine vix ebullire aut supra modum effervescere viso, primum in humore nervoso febres lentae, ac valde periculosa initia jaciebantur; et porro: „Hujusmodi aegritudo a quibusdam medicis, siquidem in solidis partibus potius, quam in sanguine consistere videtur, febris maligna hectica appellatur, quum re vera eadem in humore nervoso potissimum defixa, lues νευρώδης convulsiva melius dicitur[14]).“

Frustra conaremur historiam febris nervosae usque ad *Willisium* persequi. Apud *Hippocratem* inveniuntur quidem morborum species, in quibus singula febris nervosae symptomata exstant, verum accuratior de iis disquisitio institui non potest. Phrenitis *Hippocratis*, descriptio complurium febrium lentarum, symptoma typhi huc pertinent. Typhi vocabulo (id est vapore) *Hippocrates* omnem sensuum obnebulationis et torporis statum significavit, itaque non quod nos eo comprehendimus[15]).

---

13) Willis. de morb. convuls. cap. 8.

14) Febres epidemicae cerebro et nervoso generi potissimum infestae anno 1661 (Op. omn. Amstelod. 1682).

15) *ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ* Lib. IV. (Ed. Kühne Vol. III p. 516.

Non certioribus finibus res est distincta apud *Galenum*, *Celsum* et *Caelium Aurelianum*. Apud *Galenum* descriptiones huc pertinentes in tractatu de febribus hecticis inveniuntur et primariae ejus ex anxietate, ardore cum magna lassitudine profectae huc referri possunt[16]. Apud *Celsum* verisimile est illam tangi in capite de phrenitide[17]. Certe *Caelii Aureliani* phrenitis febris esse videtur nervosa[18]. *Alexander Trallianus*, qui inflammationem cerebri jam accuratius distinguit, de phrenitide spuria loquitur, quae febris nervosa erethica videtur esse[19]. In febribus pituitosis (laticae, latentes) et pestilentialibus illis *Avicennae* item febris nervosa tangitur[20]. Posteriore tempore nomina febris malignae et pestilentialis a *Galeno* inventa manebant in suo honore et quidem ita, ut diversissimae morbi species iis appellarentur. *Sennert*, *Felix Plater*, *Sassonia*, *J. C. Benedictus* maxime occupati erant in quaestione de febrium malignitate, etsi non intelligere poterant essentiales earum differentias. *Boerhave*

---

517) aegroto, qui ex febre quartana obstupefactus remansit, alius opponitur, qui vera typhomania correptus fuit. Quin de femina dicitur (idem p. 541) fuisse typhosam sine febre et tunc cecidisse in tremorem etc. etc.

16) De different. febrium lib. I. cap. 11. 12. (Ed. Kühne Vol. VII. p. 313, 322).

17) De medicina lib. III. cap. 3 et 18.

18) Acut. morb. lib. I. cap. 1 et 3.

19) De arte medica lib. I. cap. 13.

20) Avicennae canon (Venet. 1582. fol.) lib. IV. Lect. I. tract. II. cap. 33. cap. 48. tract. IV. cap. 1.

et *Sydenham* febrem nervosam tanquam peculiare febrium genus non distinguunt. Idemque est apud *Fr. Hoffmann* et multo post apud *Burserium*. Morbi huc pertinentes tanquam febres perniciosae catarrhales, rheumaticae, gastricae, pituitosae, exanthematicae, navales denique, castrenses et nosocomiales febres describuntur. Inde a *Sauvages*[21]) vox Typhi ad designandum peculiare febrium genus inducitur et hujus vocis notioni alia atque hucusque regnans hippocratica vis tribuitur. Et commemorat quidem *Sauvages*, typhum quem ipse vocat, febrem nervosam ab *Anglis* vocari, et postea plures medici usum vocis typhi ita constituerunt, ut omnes febres asthenicas, quin etiam asthenicum morbi characterem ipsum eo designari vellent[22]).

Jam dictum *Willisium Anglum* primum febris nervosae voce usum esse, qua in re *Robertus Whytt* et *Huxham* mox sunt subsequuti. Per auctoritatem pathologiae solidaris et cum ea cohaerentis theoriae irritationis nomen febris nervosae increbuit, quamquam hoc nomen ut Typhi a nonnullis ad asthenicum characterem generatim designandum est adhibitum.

Ita uno genere febris distincto, sive idem nominatum sit Typhus vel Febris nervosa; quod cum affectione morbosa systematis nervosi itaque vitalitatis animalis arcte cohaeret, fieri non potuit, quin

---

21) Nosologia meth. Amstelod. 1768. L. I. p. 311.

22) Reil's Fieberlehre Bd. 1. — Brown System der Heilkunde §. 672.

paullatim differentiae penitius cognoscerentur, quas hoc morbi genus habet, quae partim essentiales partim fortuitae sunt habendae. Qua in re varie est disputatum, ita ut principia divisionis partim sumpta sint a causis occasionalibus, partim a singulari laesionis functionis nervorum genere, partim a combinatione cum aliis affectionibus morbosis, partim a sede symptomatum nervosorum praevalentium, qua de re infra disserendi locus est.

In universum id tamen tenendum, novissimo tempore plerumque typhi vocem significare contagiosam febrem continentem aegrotationem peculiarem systematis nervosi, febrem nervosam vero formas non contagiosas amplecti, etsi hodie quoque multi inveniuntur medici typhi vocabulo eo, quo supra dictum, sensu utentes.

B. *De febris nervosae notione agitur.*

§. 6.

Posteaquam febris processum quoad essentiam suam et progressionem generatim illustravi, nec non essentialem febris vasorum, febris nervosae et febris putridae differentiam ex hac progressione breviter demonstravi, distinctionem denique febris nervosae via historiae adumbravi, priusquam pergam, febris, de qua agitur, nervosae notionem certius destinare conabor.

Ut taceam de abusu isto in praxi maxime pernicioso, ex quo *asthenicum* et *nervosum*, vel *nervosum*, *typhosum* et *asthenicum* idem significare perhibentur, tres casus in notione febris nervosae definienda observandi sunt:

1) Multi medici notionem febris nervosae augent et omnes febris formas ea complectuntur, quae cum insigni cerebri et systematis nervosi affectione conjunctae apparent. Itaque inflammatoriam contendunt existere formam febris nervosae. Sufficiat ex multis nominasse *Harless*[23]) et *Bartels*[24]). Finis vix constituendus; partim enim agitur de irritationibus symptomaticis, partim de cerebri statu inflammatorio. Quam morbi formam excludo, propterea quod ex argumento sub I. prolato vera febris nervosa semper characterem asthenicum prae se ferre debet. De formis similibus, quae cum febre nervosa erethica cohaerent, infra sermo erit, quum de singulis febris nervosae differentiis sim acturus. Processus febris hypersthenicus solum per sanguinem irritantem in cerebrum et systema nervorum influxum habere potest, qui quum altiorem progressum faciat, irritatio solum ad inflammationem ejusque sequelas transibit, nunquam vero ille cum idiopathica nervorum affectione est conjunctus, etsi interdum indirecta causa est formationis febris nervosae.

---

23) Handbuch der ärztlichen Klinik. Bd. 2.

24) Bartels, Die gesammten nervösen Fieber, in sich begreifend die eigentlichen Nervenfieber nebst den Fieberseuchen und Wechselfiebern. Berlin 1837. Bd. 1. Seite 55. 59.

2) Alii notionem febris nervosae etiam ampliorem esse volunt, quippe qui praeter febrem nervosam hypersthenicam etiam febrem intermittentem illi subsumunt, quod novissimo tempore potissimum est factum a *Bartels*. Quam notionem equidem existimo et nimis amplam et sine fructu esse in praxi, quum jam tres febrium nervosarum contineat differentias, febrem nervosam hypersthenicam, febrem nervosam meram et febrem intermittentem, quae magis ex momentis fortuitis sunt profectae. Verum in theoria quoque hos duos casus esse distinguendos pro certo habendum. Inveniuntur enim febres, quae ab affectione nervorum quasi inducuntur, quasi ex iis proficiscuntur, etsi tanquam febres conformatae cum veris symptomatis nervosis non sunt conjunctae, qua e etiam in febres vasorum sunt numerandae, quum ltera parte essentiali, quae ad febrem nervosam onstituendam est necessaria, i. e. nervositate careunt. Quas ad febres maxime pertinet febris internittens, quam ex affectione morbosa gangliorum proicisci ducimus. Quum proximam contemplemur ationem hujus nervorum apparatus ad sanguinis moum, quin etiam ad sanguinis formationem et ad unctam vitalitatem organicam, nobis elucebit, quonodo inde febris formatio proficisci et tanquam a nera nervorum affectione dependens extare et reeti possit. Quam vero ob rem febres intermittentes on sunt habendae in febribus nervosis, quae posunt, ut una cum febris symptomatis status ille extet, quem vocant nervosum. Utilitas certe nec prac-

tica nec theoriae redundabit ex hac divisione, secundum quam febris intermittens in febribus nervosis habetur, quum et ipsam affectionem systematis nervosi, quae est in febre intermittente, valde aliam esse atque illam in febre nervosa quisque concedat, et nos ipsi denique magnis difficultatibus irretiamur, quum in febre intermittente formam cum statu nervoso conjunctam iterum secernere debeamus.

3. Ego igitur praefero arctiorem febris nervosae notionem, ex qua sit morbus compositus ex duobus momentis essentialibus:

a) febre vasorum asthenica, nec non

b) laesione vitalitatis cerebri et systematis nervorum idiopathica cum febre arcte cohaerente (nervositas, status nervosus medicorum).

Continet igitur haec febris morbum uno tempore exstantem vitae organicae et animalis, qui variis gradibus, vario modo existere et causis et morbis lateralibus accidentibus modificatus apparere potest.

C. *De febris nervosae essentia agitur.*

§. 7.

Si varias theorias de causa proxima febris nervosae, quam nos ita vocamus ex definitione praemissa, et quomodo illae tempore praecedente excultae sint, persequi vellem, nimis ampla esset materies mihi pertractanda. In universum igitur annotare sufficiat potissimas de hac re opiniones esse has:

1) Statum nervosum, et, quod inde sequitur, febrem nervosam a mera asthenia (adynamia) deduxerunt medici. *Sauvages*[25]) ait: „magna asthenia et sanguis corruptus typhi est causa." — *Cullen*[26]) causam proximam ponit in deficiente reactione cerebri. — *Brown*[27]) astheniam solum habet causam. — *Hufeland*[28]), *Hecker*[29]), *Wedemeier*[30]), *Schlegel*[31]), *Kreyssig*[32]), *Raimann*[33]), *Richter*[34]), causam item repetunt ab asthenia. *Harless*[35]) opinatur esse deminutam reactionis facultatem in systematibus affectis, conjunctam cum aucta vel deminuta irritabilitate. *Baumgärtner*[36]) ducit febrem nervosam partim ex vera asthenia, partim ex suppressa nervorum facultate ducendi ab organis centralibus ad periphericas nervorum in systemate vasorum ramificationes, et secundum cum

---

25) Sauvages nosologia method. Amstelod. 1768. T. I. p. 311.
26) Cullen, Grundsätze der Arzneiwissenschaft. A. d. Engl. Copenh. 1769. S. 90.
27) Lib. cit. Bd. 1. S. 92.
28) System der praktischen Heilkunde. 1802. 2r Bd. S. 31.
29) Kunst die Krankheiten des Menschen zu heilen. Erf. 1813.
30) Ueber die Erkenntniss und Heilung des Typhus u. s. w. Halberstadt 1814.
31) Fieberlehre. Erfurt 1824.
32) Neue Darstellung physiologisch-pathologischer Grundlehren. Leipzig 1800.
33) Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie. Wien. Mehrere Auflagen.
34) Specielle Pathologie und Therapie. Bd. 1.
35) Handbuch der ärztlichen Klinik. Coblenz 1829. Bd. 2.
36) Ueber die Natur und Behandlung der Fieber. Frankf. 1827. Bd. 1. S. 177.

febris nervosa ea est febris, quae a deminuto nervorum in systema vasorum influxu dependet.

Quum vero diligentius discutiamus has varias opiniones, quae, quod adtinet ad peculiarem astheniae rationem, sunt consitutae, hae differentiae in universum poni possunt:

a) Multi meram vitae astheniam generalem causam internam febris nervosae esse contendunt.

b) Nonnulli cum hac asthenia conjunctum putant sanguinis vitium.

c) Alii febrem nervosam solum repetunt ab asthenia systematis nervosi et distinguunt:

α. meram astheniam nervosam (atonia).

β. astheniam conjunctam cum perceptione aucta (asthenia nervosa erethica).

γ. astheniam, quacum et ducendi functio in nervis irregularis est reddita.

δ. astheniam proficiscentem ex reproductione in systemate nervorum deminuta.

ε. astheniam dependentem a qualitativo influxu contagii alicujus.

2. Altera opinio est febris nervosae causam semper esse inflammationem. Cujus hypothesis etsi vestigia fortasse jam apud antiquiores scriptores deprehenduntur, tamen praevaluit demum recentiori tempore et quidem primum in typho bellico annorum 1812—16, postea autem cum generatim in febribus nervosis, tum praesertim in febre nervosa abdominali. Doctrinae a *Broussais* propositae de *Gastro-enteritide* tanquam causa febrium adynamicarum ista theo-

ria quam maxime exculta subest. *Hinze*[37]) febris nervosae causam esse censet inflammationem cerebri; *Dzondi*[38]) inflammationem totius systematis nervosi adesse autumat. *Autenrieth*[39]) ducit febrem nervosam ab inflammatione nervorum abdominalium, *de Pommer*[40]) ab inflammatione intestinorum nobilium, quam cognoscere difficile sit. *Schneider*[41]) causam proximam quaerit in phlogosi systematis gangliorum.

Confusio typhi cum propria, quae ita vocatur, et mera febre nervosa multas turbas excitavit in doctrina de febris nervosae essentia. Altera harum turbarum causa exorta est ex eo, quod aliorum alium in sectione cadaverum fuit visum repertum, quod partim affectionibus localibus, partim morbi sequelis, partim denique multis momentis fortuitis externis modificari potuit. Ut omittam uberiorem hujus rei quaestionem, quae vereor ne vana sit, jam eam doctrinam, quae mihi verissima videtur esse, explicabo.

§. 8.

1) Quodsi examinaveris, quae sit illa corporis condicio, qua febris nervosae formatio maxime ad-

---

37) Skizze zur Geschichte der typhischen Fieberepidemie von 1813—14 in den Ephemeriden der Heilkunde Bd. 8. 2tes Heft, Juli 1814.

38) Aphorismi de inflammatione. Lib. I. Halae 1819.

39) Ueber den sporadisch vorkommenden Typhus.

40) Zur Pathologie des Verdauungskanals. In den klinischen Annalen Bd. 2. Heft 1.

41) Ueber den sporadischen Typhus und das Wechselfieber. Tübingen 1826.

juvetur, dispositionem individualem in ea formanda multum valere invenies. Primum vero experientia constat permagnum morborum numerum esse, qui, etsi eos comitatur magnus astheniae gradus, tamen non transeunt in febrem nervosam. Recordemur enim verbi causa magni astheniae gradus, qui post sanguinis fluxus aut in febribus hecticis observatur, in quo ne vestigium quidem status nervosi deprehenditur. Quin etiam insignis in febre putrida asthenia non necessario cum statu illo conjuncta est. Febres autem sic dictas asthenicas sine statu nervoso exstare posse etiam experientissimi medici concedunt, quae morbi forma hanc ob causam mera febris asthenica seu synochus vocatur; ex multis satis habeo commemorasse *Berends*[42]) et patrem meum[43]). Ex quibus omnibus apparet febrem nervosam e mera asthenia qua tali nasci non posse, verum aliud quiddam qualitativum cum processu vitali in nervis arcte cohaerens accedere opportere. Crebro quidem illud qualitativum ab influxu causarum occasionalium specificarum ducendum erit, praeterea autem et certa quaedam processus vitalis condicio individualis disponens magni momenti esse videtur. Merae febris nervosae conformationem maxime adjuvari tali constitutionis corruptione, quae majore perceptionis facultate systematis nervorum et ejus

42) Berends Vorlesungen von Sundelin und Albers herausgegeben. Bd. 2.

43) Berndt's Fieberlehre. Bd. 1.

actionis regularis perturbatione est insignis, experientia docemur. Ii, qui et animum et corpus supra modum stimulabant, Baccho et Veneri nimis indulgebant, vitio onaniae dediti, qui anxietate, curis, nimia contentione virium diu laborabant, merae febri nervosae sporadicae facillime succumbunt. Sine dubio singularis illa jam ad morbum inclinans condicio vitae animalis tanquam momentum constituens morbi ad propriae organicae vitae astheniam accedit.

Verum praeter hoc dispositionis genus etiam plane diversa vitae condicio febris nervosae formationi favet. Nam saepissime corpora juvenilia maxime vigentia morbo illo tanguntur. In universum tenendum in puerili vitae aetate dispositionem ad febrem nervosam valde exiguam esse, in prima infantia paene plane deesse, omninoque usque ad pubertatem tam parvam esse, ut febres nervosae hac aetate raro inveniantur. Cum pubertate crescit haec dispositio usque ad aetatem virilem, abs qua rursus deminuitur, quamquam ut in nulla vitae aetate plane absit. Quaerentes autem nos, quod febrium nervosarum genus potissimum illa dispositione praevalente nascatur, experientia docemur esse febres nervosas proficiscentes a contagio animali et ab influxibus miasmaticis, atmosphaericis et terrestribus, quae igitur charactere qualitativo et morborum inflammatoriorum complicatione sunt insignes. Turbationem vitalitatis gangliorum, quod adtinet ad dispositionem ad hunc morbum excolendum, multum valere dubitari nequit. Sed in pubertatis periodo etiam febres

nervosae observantur magis tanquam idiopathicae excultae, in quibus item condicio erethica et alienata illa in systemate gangliorum praevalens momentum disponens est habenda. Omnino erethica condicio vitalis in systemate sexuali permultum valere ad febris nervosae formationem censenda, quam rem etiam puerperarum inclinatio ad hunc morbum testatur.

§. 9.

2) Modus autem atque ratio, qua causae occasionales influant, quae confligentes cum dispositione febrem nervosam provocant, ita fere se habet:

Febris nervosa mera sporadica aut sensim pedetentimque ex aucta dispositione proficiscitur, aut affectus psychici, influxus debilitantes et refrigeria eandem excitant dispositione jamjam exstante. Haec autem semper videtur necessaria. Itaque febris nervosae formam erethicam saepius apud potatores in aliorum morborum decursu et e curatione debilitante nasci videmus, et quae alia sunt ejusmodi.

Alia causarum series sita est in processibus morbosis, ex quibus febris nervosa tanquam morbus secundarius proficiscitur. Huc pertinent status morbosi gastrici, qui cum affectione gangliorum per se jam arcte cohaerent. Jam vero morbi huc referendi systematis nervosi ipsius et maxime neurilematis quoque, qua ratione morbi febriles rheumatici summo opere memorabiles. Etiam status inflammatorii tunicae mucosae et potissimum quidem tractus alimentarii huc pertinent. In ea papillarum nervorum mul-

titudo et propagatio processus morbosi in totum systema gangliorum magni momenti videntur. Tamen affectio tunicae mucosae non solum causa, sed etiam modo momentum essentiale in febribus nervosis compositis, modo symptomatica tantum in decursu morbi apparens exstat. Etiam inflammationes in aliis organis gravioribus apud homines dispositionem ad febrem nervosam praebentes eandem saepe excitant, saepius autem et causa harum inflammationum occasionalis ea, quam simul habet in systema nervorum, vi peculiari eandem producit.

Tertiam causarum seriem offerunt influxus miasmatico-atmosphaerici et terrestres, nec minus contagium typhi. Res profecto difficillima et parum hucusque explorata. Effluvia terrestria, ut experientia docet, praecipuam rationem habent ad systema gangliorum variosque processus morbosos producunt, ex quibus hoc loco commemorasse satis sit inflammationem tunicae mucosae folliculosam conjunctam cum febre nervosa, item dysenteriam et febres paludosas, in quibus forma intentior, Hemitritaeus, praecipue huc referenda. Influxus atmosphaerico-miasmatici magis affectiones tunicae mucosae organorum respirationis aut irritationes in tela fibrosa procreare, in singulis etiam casibus certam rationem ad systema nervorum habere videntur. Omnino hae causae praecipue ansam praebent propagandae febris nervosae; exoritur inde vero epidemia constitutionalis, quae ipsa nascitur ex constitutione universali praepon-derante et ad summam intensitatem aucta. Quod

adtinet ad typhi contagium, hoc oritur modo generatim e materiebus animalibus excretis atque dissolutis, modo vero ex ipsa febre nervosa. Cujus propagatione ad observationem venit epidemia contagiosa, quae rursus constitutione morbosa eodem tempore regnante varie modificari potest. Quod mihi autem inprimis memorabile videtur, quodque usu extra dubitationem est positum, illud est, typhi contagium tantum generatim designari posse, quum varias tamen modificationes eum habere observationibus medicorum comprobatis manifeste convincatur. Veluti reperitur typhus, quem cum systematis nervorum cerebralium et spinalium affectione morbosa arcte cohaerere negari nequit, tum typhus gangliorum seu abdominalis, qui ita vocatur, denique typhus puerperalis tertiam speciem continet. Et Typhi combinatio cum petêchiis et milliaribus huc pertinet. Omnino typhi contagium etiam cum aliis contagiis atque influxibus miasmaticis sese conjungere potest.

Accuratiore hujus argumenti disquisitione ad nova mundi organici spatia ducimur adhuc perscrutationi nostrae sensibus susceptae invia et fortasse semper futura. Ubique autem, quod adtinet ad vim in systema nervorum agentem, qualitativa ratio cum debilitante est conjuncta.

§. 10.

5) Omissa accuratiore symptomatum febris nervosae descriptione, quae essentialia putantur paucis exponam.

Secundum notionem supra datam morbi imago, quae febris nervosa vocatur, constat e febre asthenica' qua tali et statu nervoso; aliae combinationes et complicationes vel abesse possunt vel adesse. Primum de iis disseramus symptomatis, quae statum nervosum ex notione arctiori indicant.

a) Pertinent huc symptomata erethismi nervorum supra modum aucti et quidem talis, qui secum habet vitalitatis organicae astheniam, neque ex inflammatoria processus vitalis tensione ortus est. Erethismum in febre nervosa comitatur defectus constantiae atque firmitatis, nec minus intemperies functionum systsmatis nervosi. Affectiones sensuum, deliria erethica, angor, affectiones spasticae (tremor, subsultus tendinum), perceptio perversa, insignis pulsuum frequentia, agrypnia, hunc erethismum indicant.

b) Contra autem apparent in imagine febris nervosae etiam symptomata deminutae functionis cerebri et nervorum systematis, quae si ulterius persequimur, his quoque variae causae subsunt. Nam modo nobis occurrit perceptio et psychica et corporea sublata, observamus enim soporem, stuporem, typhomaniam, simul deliria murmurantia, item perceptionem condicionis suae aegrotum carere, quin et conscientiam penitus perturbatam videmus.

Modo solum deminutio perceptionis invenitur sive ex suppressa functione systematis nervosi, sive quod re vera virium defectus exstat, qua in re et dynamicas et organicas causas influere verisimile est.

Hic conscientia quidem adest, verum quasi dormit, et debilitata vitalitas organica cerebri non sufficit ad cogitationum seriem continuandam; quod proprie ita dicitur delirium non adest, verum potius illusio ex imperfecta perceptione orta. Insignis virium et reproductionis collapsus hunc statum comitatur, in quo aegrotus, si interrogatur, de sua condicione verum sentit, generatim autem propter sensus parum vividos parum queritur.

Praeterea alia indicia deprehenduntur in statu nervoso, quae maxime laesionem qualitativam vitalitatis systematis nervorum indicant et a plerisque medicis parum sunt curata. Commemoro insignem inclinationem ad sanguinis cumulationes in systemate venarum, calorem urentem peculiarem, inclinationem ad formandum exanthema milliare, quae in nonnullis generibus febris nervosae, veluti in febre nervosa abdominali essentialis esse videtur, item formationem pigmenti peculiaris in excretis, porro perversitatem nervorum activitatis ipsius, denique, ad quod inprimis attendendum, quodque experientia docemur, febrem nervosam insignem inclinationem continere contagii formandi et per suum semen sese propagandi. Ad febrem asthenicam per sese haec omnia non pertinent, quocirca ad eorum existentiam praecipue systema nervorum influere colligendum, quamquam saepenumero naturam causae occasionalis in his valere suspicari licet.

Quarum rerum explicatio difficilis et plerumque tantum hypothetica. Ut enim febris, quippe

quae morbus sit organismi per organicam suam vitalitatem et inde per sanguinem, semper proxime cohaeret cum sphaera systematis gangliorum, sic in febre nervosa primum ab his partibus status nervosus sese ostendet, et triplici ratione, primum abnormi influxu in sanguinis motum, tum in sanguinis formaionem, vitalitatem et secretiones e sanguine, omnino ibnormi condicione chemismi vitalis in sanguine, lenique mutato statu sensus communis cum in toto orpore, tum praesertim in abdomine apparebit. nde explicatur peculiaris pulsuum condicio iniquiate et irregularitate insignis, praecipue etiam incliatio ad sanguinis cumulationes et excitationes in ystemate venarum; in hoc, et praecipue in sanguinis notum in vasis capillaribus venosis maxime influunt ervi, abs quo nervorum influxu etiam sanguinis tagnatio et congestio in tunicis mucosis, quae in ebrium nervosarum decursu apparent, est deducenda, uamquam etiam qualitativa mutatio secretionum, uippe quae sit simul causa irritationis tunicae muosae, diligenter est consideranda. Attamen in haum rerum perscrutatione, et praecipue caloris urens peculiaris, qualitativa laesio chemismi vitalis in nguine haud praetereunda videtur. Qui calor ex tiva vitae sanguinis excitatione existat fieri non otest, quippe quae absit; pari modo causa sola e tentione per spasmum cutaneum, qui ab abnormi ervorum influxu proficiscatur, explicari nequit. ulto autem verisimilius est eum ex abnormi cheismo vitali oriri, qui et generatim cum febris ner-

vosae causa arctissime cohaerere videtur. Nam, uno saltem defungar exemplo, qua alia atque su commemorata ratione formatio milliarium cogi potest? — Denique etiam formatio contagii per benda, quam febris nervosa ex condicionibus s adjuvat. Quas condiciones magis in chemica pa processus vitalis quaerendas esse in propatulo Sine dubio hic non tam cogitandus chemismus ru anorganicus, ut in febre putrida apparet, quam tius subtilior ejus ratio cum imponderabilibus coh rens est statuenda, quorum quidem transitum in tam organicam et animalem amplius exquirere n possumus. Qualitativa mutatio secretionum praes tim in tunicis mucosis, quae formationem pigme peculiaris recipit atque fortasse alia quoque prod eta adhuc non accurate perspecta secum ducit, d cumento simul est de progressione processus m bosi ad statum putridum. *Schoenlein*[44]) mutation hucusque cognitas, quae ad qualitativam laesion pertinent, ita enumerat:

„Fibrine und Eiweissstoff nehmen ab, der
„weissstoff findet sich bei manchen Typh
„wenigstens zum Theil noch in den Secretio
„producten wieder. So erscheinen z. B. be
„Ganglientyphus albuminöse Stuhlausleer
„gen. Das Blut gerinnt nicht leicht, bleibt

44) Schönlein, Allgemeine und specielle Pathologie und T rapie, herausg. von einigen seiner Zuhörer. Bd. 2. 18

„halbflüssigem Zustande, der Blutkuchen ist „weich, leicht zerstörbar, klein im Verhältniss „zum Serum, das Blut zersetzt sich leicht, fault „schnell; das Blut ist auffallend schwarz, zeigt „nie die helle Röthe, wie bei den Neuro- „phlogosen (auf der Höhe des Gefässes, worin „es angesammelt wurde, nie Speckhautbildung). „Im letzten Stadium scheint sich im Blute so- „gar ein eigenthümliches Gas zu entwickeln „(es tritt das Blut beim Einschneiden in die „grössern Gefässstämme mit Luftblasen gemengt „aus). Ueber die Eigenschaft dieses Gases „sind noch keine genaueren Untersuchungen „vorhanden, doch scheint es dem blausauren „und schwefelsauren Gase ähnlich zu sein. „Auch unter der Haut ist dieses Gas in Bläs- „chenform, und bedeckt im letzten Stadium „die ganze Hautoberfläche.“ (His designatur ...rma milliarium, quae in febre nervosa apparet cf. ... 229.)

Calorem mordacem *Schoenlein* ducit a mutata ...ectricitatis animalis condicione. Etiam crystallina ...a excretio ab eodem observata, quae in faecibus ...veniatur, hoc loco est commemoranda. Quantumvis ...tem etiamnunc qualitativa pars processus morbosi ... febre nervosa obscura et vix primoribus, ut aiunt, ...oris percepta sit, ex argumentis, quae attuli, certe ...paret eam re vera exstare.

Ea symptomata, quae asthenicum febris cha-

racterem designant, ampliore non indigent disputa-tione, quippe quae ipsa sese oculis offerant et prae-cipue collapsu cum turgoris vitalis, reproductioni et virium generatim, tum praesertim etiam pulsu condicione designentur.

§. 11.

Admodum gravis autem quaestio est, utrum febris asthenica ad excolendum statum nervosum necessaria sit, an simul conjunctus cum febris cha-ractere hypersthenico ille status inveniri possit. Equidem priorem sententiam veram censeo, alteram jam antea refutavi; sed rem paucis exponam.

Primum differentiam et diversam causalem ra-tionem affectionum nervorum haud obliviscendam reor. Quatuor autem species distinguendae mihi videntur, et quidem primum affectiones nervorum ex irritatione activa, tunc e collapsu, e. g. post san-guinis detractiones, porro ex suppressione functionis in partibus centralibus systematis nervosi, ex quali-tativa denique vitalitatis laesione in systemate ner-vorum. Ea, quam primum attuli nervorum affectio, pendet e febre hypersthenica tanquam symptomatica, quam ob rem, ut jam antea quoque est factum, e febris nervosae notione excludi debet. Altera af-fectionum species cum febre nervosa conjuncta ex-stare potest, tamen non tanquam momentum essen-tiale. Tertia item per sese febrem nervosam non constituit, tamen quidem ad ejus conformationem initium facere et sese in morbi progressu adjungere

potest, veluti constitutio venosa maxime exculta saepius hoc momentum laterale affert.

Status ille nervosus, qui momentum essentiale febris nervosae praebet, semper simul cum perversione functionis est conjunctus, itaque qualitativus. Jam vero experientia docet exempli causa saepius in epidemiis febris nervosae contagiosae et miasmaticae ab activis irritationibus, quae igitur ad febrem hypersthenicam pertinent, morbi initium fieri posse; sed hic character hypersthenicus tantum breve tempus perdurat et statu nervoso incipiente in asthenicum prorsus commutatur. Rem accuratius perlustrantibus nobis, mutationem illam vitae nervorum qualitativam tantummodo oriri influente asthenia, nec sine illa exstare posse plane elucebit.

Si spectas ad characterem symptomatum nervosorum quoad quantitatem, semper asthenicus habendus, quum hoc in casu, etiamsi functiones nervorum excessivae adpareant, tantummodo agatur de incitationibus breve tempus perdurantibus, quae et semper conjunctae sunt cum signis vitae astheniam indicantibus. Quae incitationes potissimum exeunt e cerebro et medulla spinali, multisque e causis occasionalibus, quin etiam e sanguinis irritatione momentanea ortae esse possunt, sed quoad essentiam ad concentrationes et emanationes irregulares principii alius, quod in nervis viget, sunt referendae.

Sin vero spectas ad qualitativam rationem status nervosi, illa solum collapsa vitalitate organica existere potest, et in morbis hypersthenicis nihil, quod

analogiam aliquam habeat, invenies. Sed et physiologia simul docet functionem systematis nervosi, u‑ una ex parte in integritate instrumenti organici, itaque et substantiae nervorum, sita est, altera tamen ex parte sustentari principio illo in nervis vigente, quod a centro ad peripheriam et ab illa retrorsum ad centrum ducitur.

Quod principium, cujus existentia secundum physicen nervorum pro certo habenda, et quantumvis vagum et diffusum, tamen corporeum et materiale putandum, quod analogiam habet cum imponderabilibus; nec minus eum non solum mechanico modo substantia nervorum duci, sed tanquam productum ex organico vitae processu substantiae nervorum, itaque et e sanguinis in eam influxu ortam esse, autumare licet. Haud improbabile mihi videtur esse, dum oritur hoc principium e nervorum substantia sanguinis varia condicione, qualitativam mutationem ad certum finem usque cogitari posse, qua ex causa status ipse nervosus proficiscatur. Non meum est quaerere, num haec processus vitalis pars unquam luculentius illustrari possit, tamen illum, quem explicavi processum, non tam, ut ita dicam, divinavi, quam re vera exstare jure meo existimo, quin vel signis illis, quae supra attuli, laesionem qualitativam processus vitalis indicantibus colligi potest.

At generatim quoque processuum morbosorum partem qualitativam dilucidam reddere nequimus, quam exstare, quum densis sit obducta tenebris,

magis opinamur, quam certo scimus, sed tamen chemia duce, qua quum omnino, et quod adtinet ad morborum essentiam et ad eorum curam, haud parva argumenta praebente gaudeamus, etiam fore, ut has quoque tenebras magis magisque penetremus, licet exspectari.

§. 12.

Quodsi omnia, quae hucusque explicavi, ad febris nervosae essentiam constituendam comprehendamus, satis constat eam effici febre asthenica et statu illo nervoso, qui et characterem symptomatum quantitativum et vitalitatis systematis nervosi condicionem qualitativam continet.

Quod adtinet ad rationem quantitativam, hae differentiae distinguendae:

a) Inveniuntur febres nervosae, quae insignes sunt adaucta systematis nervosi excitabilitate et symptomatis, quae characterem excitationis et tensionis in hoc systemate prae se ferunt, dum simul symptomata febrilia qua talia characterem prorsus asthenicum praebent. Quae vero excitatio atque tensio ad momentaneas tantum principii nervosi concentrationes atque emanationes uberiores a partibus centralibus sunt referendae. Hic erethismus oritur ex dispositione nervosa, quam aegrotus prae se fert. Interdum vero et qualitativa laesio vitalitatis substantiae nervorum hac in re valere videtur. Nam omnino tres hujus erethismi causae sunt distinguendae:

α) Oritur hic erethismus tantummodo e prin-cipio nervoso concentrato et irregulariter ducto.

β) Reperiuntur casus, in quibus simul efficitur et sustentatur sanguinis in centra systematis nervosi influxu irritante.

γ) Proficisci denique potest e qualitativa vitalitatis laesione.

Erethismus congestivus necessitudinem habe cum affectione inflammatoria et transitum ad inflammationem designat. Sanguinis vero congestione plurimis in casibus tanquam momentum modifican et sustentans causale existunt, quippe quae ipsae e processu morboso sint profectae. Hic etiam retentio sanguinis in vasis capillaribus venosis et qualitativa ejus condicio respici debent. Ex quo et rubor in arachnoidea apparens dependet, quem mult medici arachnitide effici temere contenderunt.

Erethismus aut est universalis totius systematis nervosi, qui quidem modo huc modo illuc vacilla et saepius cum deminuta nervorum functione exhaustaque eorum vi per vices variat, aut praevalet in singulis systematis nervosi partibus, veluti in cerebro, medulla spinali, et in gangliorum systemate. Quo exstat febris a medicis distincta nervosa erethica, quae continet erethicam versatilem, cerebralem, spinalem, et gangliorum. Cujus febris nervosae formae, quum processuum morbosorum lateralium sit expers, decursus est acutus, qua re et febris nervosa acuta vocatur (hitziges Nervenfieber).

b) Deinceps inveniuntur febres nervosae, quae characterem deminutae activitatis atque perceptionis prae se ferunt et plerumque cum magno vitalitatis organicae collapsu sunt conjunctae, in quibus laesam substantiae nervorum integritatem et principii nervosi defectum suspicari jure possumus. Praecipue praevalente gangliorum affectione sunt insignes et decursum faciunt chronicum. Febris nervosa lenta medicorum huc pertinet. Paralyticus character et deminuta substantiae nervorum nutritio hic praevalere videntur, et jure maximo haec febris nervosa paralytica vocatur [45]).

c) Tertia febris nervosae forma ea est, quae modo suppressione functionis, modo qualitativa vitalitatis nervorum laesione existere videtur. Miasmata, contagium, tum cumulationes quoque sanguinis venosi non satis decarbonisati et processu morboso alienati, qui quasi narcotisans in cerebrum et substantiam nervorum agit, suppressiones denique functionis gangliorum praecipue hic considerari debent. Typhus plerumque hanc formam induit, cui excolendae et constitutio venosa magis perfecta favet. Quoad decursum medium tenet inter eas, quas supra distinxi formas, saepius vero in paralyticam transit. Symptoma ejus primarium est typhomania, et medici eam appellant febrem nervosam stupidam.

Quod adtinet ad qualitativam processus vitalis partem, ea praecipue in hac tertia forma praevalet,

---

45) Cf. Berndt's Fieberlehre. Bd 1. S. 253.

minus vero in aliis duabus, maxime vero excul[...]
apparet in formatione contagii e processu morbos[...]
quocum autem, si ille profectus est e contagio, jam
ab initio est conjuncta.

§. 13.

Has febris nervosae differentias, quas expli[...]
cavi essentiales, interdum inter sese confusas atq[...]
commixtas exstare experientia docet, id quod medi[...]
dicus in morbi diagnosi constituenda diligenter pe[...]
pendat animo necesse est.

Jam supra de duplici modo progressionis febris asthenicae loquutus sum, et alterum quidem, qu[...] febrem nervosam designat, uberius explicavi, alterum vero, qui inclinationem ad chemismum anorganicum continet et febre putrida designatur, hoc loco luculentius perlustrare non meum est. Verumtamen hoc loco haud omittendum videtur cum interdum tanquam combinationem febri nervosae modo se adjungere, modo illam in se recipere, ex quo morbus existit tria momenta constituentia complectens, febrem asthenicam, statum nervosum, et statum putridum, id est febris, quam putrido-nervosam vocan[...] medici.

§. 14.

His autem elementis constituentibus essentia[...] libus febris nervosae nubes, ut ita dicam, aliorum morborum sese adjungere potest. Atque difficile es[...]

varias has combinationes et complicationes in certa genera referre et describere, in universum autem constitui ita fere possunt:

1. Secundum sedem affectionis topicae cum febre nervosa complexae distinguere possumus febrem nervosam cerebralem, abdominalem, et pectoralem.

2. Secundum naturam statuum morbosorum complexorum praecipue distinguere debemus:

a) inflammationes, quae cum febre nervosa connexum causalem habere possunt. Modo febris nervosa sese inflammationi adjungit, modo ex ea proficiscitur, veluti quod in pneumonia haud raro accidit, praecipue etiam ex phlebitide consequitur. Sed inflammatio quoque in decursu febris nervosae ex ea oriri potest, cujus ortum et retentio sanguinis venosi in organorum parenchymate et praecipue in tunicis mucosis saepius adjuvat.

Verum inflammatio etiam ex eadem causa, qua febris nervosa nasci potest, essentiale igitur momentum processus morbosi ex pluribus elementis constituti est habenda, cujus rei veluti febres nervosae epidemicae, quae haud raro cum affectionibus inflammatoriis conjunctae apparent, perspicuum praebent documentum.

b) Morbum catarrhalem et praecipue epidemicum, quam vocant influentiam, haud raro combina-

tionem facere cum febre nervosa experientia doc
mur, quin febres catarrhales nervosae epidemic
saepius sunt observatae.

c) Etiam morbus rheumaticus haud raro com
binationem facit cum febre nervosa; casus vero m
gis sporadici, nisi, ut nuper est factum, milliar
morbi rheumatici speciem habere vis, quae vero
pote exanthema milliare idiopathicum sese cum feb
nervosa conjungere maxime studet.

d) Exanthemata acuta contagiosa, ut sunt mo
billi, variolae, scarlatina, cum febre nervosa saepi
conjuncta inveniuntur, quin etiam cum typho co
junctionem ineunt, cui si favet constitutio station
ria et individualis, vel typhi contagii commixtio cu
exanthematico, et si aegroti ratione et cura ma
character morbi immutatur.

e) Magno opere sunt respiciendi status mo
bosi puerperales, quos in febrem nervosam degen
rare saepius observatur. Qua in re etsi dispositi
subjecti et praecipue praevalens dispositio puerper
rum nervosa magni est momenti, tamen febris ne
vosa puerperalis generatim tanquam morbus co
secutivus existit, id quod in stadio exsudation
febris puerperalis simplicis accidit, praecipue ve
ex phlebitide ortum ducit, quamquam etiam affect
gangliorum inflammatoria hunc exitum facere potes
Typhus autem puerperalis manifestissimum dat d
cumentum existentiae hujus febris nervosae forma

f) **Genus morborum admodum notabile febres nervosae gastricae sunt, quippe quae plures singulas formas amplectantur, quae inter sese conjunctae processum morbosum valde implicatum reddere possunt. Modo sporadicae, modo epidemicae observantur.**

Distinguunt medici secundum morbi gastrici peculiarem rationem febrem nervosam biliosam, pituitosam, verminosam, atrabilariam. Saepius etiam affectiones topicae inflammatoriae tunicae mucosae tractus alimentarii sunt connexae, quae vero inter sese distinguendae, nec sufficit totum morbi processum, ut est a *Broussais* factum, gastroenteritidis notione complecti. Habemus enim modo inflammationem tunicae mucosae erythematosam, veluti in febre lenta senum, in erisypelate universali et post combustiones per magnam corporis partem dilatas, nec non acuta exstat affectio tunicae mucosae pro erysipelate habenda, ex qua febris nervosa ortum ducit; modo agitur de inflammatione tunicae mucosae pseudomembranosa, quae nomen audit diphtheritidis; plerumque autem habemus inflammationem tunicae mucosae folliculosam, quae, ut pseudomembranosa, exorta esse videtur e constitutionis gastricae peculiari ratione, quae in his viginti annis praecipue est observata[46]. — Qua in re inflammatio eadem utitur causalitate atque febris asthenica, quae a gradu sy-

---

46) Berndt's Lehre von den Entzündungen. Bd. 2. Abth. 2. — Klinische Mittheilungen. Hft. 2.

nochi mitioris usque ad febrem nervosam malig
simam progredi potest. Omnes hi processus m
bosi compositi, qui ipsi morbos laterales, ve
inflammationem mesenterii, suscipere, vel cum s
bilioso, pituitoso etc. conjuncti exstare possunt,
tum suum tenent decursum et accuratam perscr
tionem atque meditationem requirunt.

Etiam specifica denique inflammatio tunicae m
cosae recti, dysenteria, conjunctionem facere po
cum febre nervosa, quam et dispositio individu
et constitutio epidemica adjuvant.

Nec omittendum videtur has febres nervo
gastricas, ut experientia docet, contagii formati
quam maxime favere, qua re etiam ad typhum p
gredi possunt.

g) Febris denique nervosa vulneraria, qu
vulnera graviora ex vita nervorum per dolorem p
turbata consequitur, a nonnullis medicis deliri
traumaticum vocata, digna est, quam adnotemus.

D. *Conspectus differentiarum febris nervosae.*

§. 15.

Ex iis, quae hucusque dixi, satis colligere cet, quam varie modificata, et quod adtinet ad foralem et ad essentialem ejus formationem, existere ossit febris nervosa. Res profecto difficilis has sinulas modificationes in certa genera referre, qua in quum omnino ne fieri quidem possit, quin menda prehendantur, ego quoque, quem constitui diffentiarum conspectum ex doctrina mea, quam supra posui de febris nervosae essentia, confectum, non omni parte perfectum esse satis scio.

I. *Differentiae essentiales.*

A. *Differentiae ex natura processus morbosi.*

1) *Febris nervosa mera*, in qua febris asthenica ra et status nervosus minus qualitativus apparet.

2) *Febris nervosa contagiosa* (typhus), in qua lae- qualitativa vitalitatis systematis nervosi praevalet.

a. *typhus cerebralis et spinalis.*

b. *typhus gangliorum seu abdominalis.*

c. *typhus puerperalis.*

Pestis orientalis forsan hic primum locum teneat

3) *Febris putrido-nervosa* et, qui tria elementa constituentia complectitur, *typhus putridus*, quo in morbi processu inclinatio ad chemismum anorgani cum est admixta.

B. *Differentiae ex charactere speciali status nervosi.*

1) *Febris nervosa erethica, typhus erethicus* et febris *putrido-nervosa erethica*, in qua excitatio e vacillatio nec non perversitas functionis nervorum apparent.

a. *febris nervosa erethica orgastica*, in qua sanguinis irritatio combinationem facit.

b. *febris nervosa erethica mera.*

c. *febris nervosa erethica specifica.*

Ex sede erethismi distingui debet:

α) *Febris nervosa versatilis*, quo nomine primus usus est *Peter Frank*[47]. Insigni est symptomatis nervosis irregularibus et per totum systema nervorum vacillantibus.

β) *Febris nervosa* cum erethismo praevalente in singulis systematis nervosi partibus.

---

47) Epitome de curandis hominum morbis. Bd. 1.

αα. Febris nervosa cum erethismo cerebri seu phrenitica.

ββ. Febris nervosa erethica spinalis.

γγ. Febris nervosa erethica abdominalis seu gangliorum.

2) *Febris nervosa stupida*, quae defectu et per-ersitate perceptionis nec non functione nervorum eminuta est insignis. Praecipue est cephalica, et raestantissimum ejus symptoma est typhomania.

a. *Febris nervosa stupida congestiva seu venosa*, in qua cumulatio sanguinis venosi in cerebro influxum exhibet.

b. *Febris nervosa stupida consensualis*, in qua affectio cerebri a gangliorum systemate proficiscitur.

c. *Febris nervosa stupida specifica seu contagiosa (typhus cum stupore)*, cujus causa est vis narcotisans contagii.

3) *Febris nervosa paralytica*, quae ad lentum de-rsum inclinat et veram systematis nervosi asthe-am prae se fert.

a. *Febris nervosa paralytica mera.*

b. *Febris nervosa paralytica ex atrophia nervorum.*

. *Differentiae ex combinatione cum morbis lateralibus.*

Quum infinitum sit opus omnes, quae existere ssunt, combinationes referre, eas tantum, quae

maximi sunt momenti et quae saepissime inveniuntur, enumerabo. Compositae hae febres nervosae ex natura sua aut sunt merae, aut typhosae, aut putridae, atque formarum, quas supra exposui, unam vel alteram induunt. Combinatio existit partim accedentibus aliis processibus morbosis lateralibus, quibus imago morbi implicata redditur, partim vero quum decursus generalis et singula symptomata febris nervosae his elementis combinationis commutentur. Huc pertinent:

1) *Febris nervosa catarrhalis*, sporadica et epidemica.

2) *Febris rheumatico-nervosa*, tantum sporadica.

3) *Febris nervosa exanthematica* et praesertim typhus conjunctus cum exanthematibus acutis.

a. Variolae nervosae et typhosae.

b. Scarlatina nervosa et typhosa.

c. Morbilli nervosi et typhosi.

d. Febris milliaris nervosa.

4) *Febres nervosae gastricae.*

a. *Febres nervosae conjunctae cum morbo gastrico simplici.*

α) Febris nervosa biliosa.

β) Febris nervosa pituitosa.

γ) Febris nervosa atrabilaria.

δ) Febris nervosa verminosa.

b. *Febris nervosae conjunctae cum affectionibus topicis tunicae mucosae, cum Gastroenteritide-*

α) Febris nervosa cum inflammatione tunicae mucosae erythematosa acuta et chronica. Huc pertinet febris lenta senum.

β) Febris nervosa cum Diphtheritide, quam nonnulli vocant febrem aphthosam nervosam.

γ) Febris nervosa cum inflammatione tunicae mucosae folliculosa, quod genus et sporadicum et epidemicum extat; praevaluit in his viginti annis, et a nonnullis febris nervosa abdominalis arctiori sensu, etiam typhus sporadicus vocatur. Plerumque tanquam febris nervosa extat, saepius etiam tanquam febris nervosa putrida, quin interdum in typhum transit.

5) *Febris nervosa puerperalis.*

a. Febris nervora puerperalis mera.

b. Febris nervosa puerperalis secundaria ex phlebitide etc.

c. Typhus puerperalis.

6) *Febris nervosa vulneraria.* Febris nervosa vuleraria maligna et Delirium traumaticum medicorum.

III. *Differentiae ex origine et decursu.*

1) *Ex origine.*

a. Febris nervosa idiopathica et primaria.

b. Febris nervosa deuteropathica.

2) *Ex decursu.*

a. **Febris nervosa acuta.**

b. **Febris nervosa lenta.**

c. **Febris intermittens nervosa.**

IV. *Differentiae ex propagation inter homines.*

1) *Febris nervosa sporadica.*

2) *Febris nervosa epidemica.*

a. **Epidemia febris nervosae constitutionalis.**

b. **Epidemia febris nervosae contagiosa seu Ep demia Typhi.**

VITA.

Ego *Fridericus Eduardus Gebhardus Berndt*, ngelicae confessioni addictus, die decimo quarto men- Maji a. MDCCCXVII. natus sum Custrini patre *F. A. Berndt* Potent. Boruss. Regi a Consiliis Medicis In- is, h. t. in Universitate Gryphica professore, matre ente *Brutschky*. Primis litterarum elementis instruc- Gymnasium Gryphiswaldense petii, ubi praeceptori- usus sum optime de me meritis, praesertim Drr. eithaupt, *Glasewald*, *Paldamus*, *Cantzler*, quorum orum memoriam pio ac grato animo servabo. Qui- , quum per octo annos et dimidium me edocuissent, ius visus sum, qui examine maturitats rite defunge- Quo feliciter superato, quum patris exemplo mo- disciplinis medicis vitam dicare constituissem, Ca- lis Aprilis anni MDCCCXXXV inter cives Univer- tis Gryphicae ab Ill. *Barkow* t. t. Rectore Magni- receptus, apud patrem medici ordinis t. t. Decanum ien professus sum.

Disserentes audivi:

l. *Schultze* de Osteologia et Syndesmologia.

l. *Hornschuch* de Botanice generali; Idem demonstravit mihi plantas in horto botanico et dux fuit in excursionibus botanicis.

l. *Tillberg* de Physice experimentali.

l. *Hünefeld* de Chemia theoretico-practica.

Semestri aestivo praeterlapso Berolinum me c
tuli, ibique a Rectore Magnifico Ill. *Steffens* in civi
academicorum numerum receptus, hisce interfui prael
tionibus:

Ill. ***Mueller*** de Anatomia universali et Organor
Sensus, de Anatomia comparata, de Physiolo
humana, nec non de arte cadavera rite dissecai

Ill. ***Mitscherlich*** de Chemia atque Physice experim
tali, nec non de Chemia organica.

Ill. *Steffens* de Psychologia et de Philosophia
turali.

Ill. ***Trendelenburg*** de Logice.

Ill. ***Weiss*** de Mineralogia.

Ill. ***Hufeland*** de Pathologia generali.

Cel. ***Wiegmann*** de Zoologia.

Anno et dimidio praeterito, postquam tentai
philosophicum feliciter superavi, Gryphiam redii,
a Rectore Magnifico Ill. ***Niemeyer*** denuo civibus aca
micis adscriptum Professores Illustrissimi hasce disci
nas docuerunt:

Ill. *Seifert* Semioticen, artem fascias chirurgicas
adligandi, Materiam medicam, nec non method
formulas medicas concinnandi.

Ill. *Schultze* artem cadavera rite dissecandi et A
tomiam pathologicam; atque praelectioni, quam
vatissime habuit de Anatomia corporis hum
interfui.

Cel. ***Kneip*** Chirurgiam generalem et specialem, doc
nam de Ossium Fracturis et Luxationibus, O
thalmiatricen.

Patrem disserentem audivi de Therapia generali, de Pathologia et Therapia speciali et de arte obstetricia.

Praeterea per tria semestria clinico medico patris ıspiciis, clinico chirurgico et ophthalmiatrico, nec non ɔerationibus chirurgicis in cadavere institutis duce el. *Kneip* interfui.

Quibus Viris Illustrissimis et Celeberrimis optime ; me meritis gratias ago quam maximas, semperque ›rum memoriam grato animo retinebo.

Atque commemorare licet me nunc temporis in ›horte velitum secunda medici inferioris militaris mu-ɜre fungentem voluntaria stipendia facere.

Veniam mihi dedit Summum Ministerium, ut, ıamquam per septem tantum semestria in studia aca-ɜmica incubui, tamen ad tentamen medicum atque ;amen rigorosum admitterer. Quibus nunc coram Gra-ɔso Medicorum Ordine rite absolutis, spero fore, ut ssertatione defensa summi medicinae et chirurgiae in e conferantur honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In morbis psychicis mens ipsa nunquam aegro
tare potest.

II.

Non semper ea corporis pars est sedes morbi
in qua apparent symptomata.

III.

Crusta sic dicta inflammatoria non certum es
inflammationis signum.

IV.

Nulla suppuratio sine inflammatione.

V.

Theorema illud *Sydenhami*, febrem esse co
namen naturae mortem avertendi, omnino non pro
bandum.

EMENDANDA.

Pag. 8.	vers. 5.	pro	eclecticcn	leg.	eclecticen.
- 8.	-	12.	-	omittenda	-	omittendum.
- 9.	-	3.	-	alterioris	-	altioris.
- 16.	-	22.	-	eharacterem	-	characterem.
- 22.	-	5.	-	consitutae	-	constitutae.
- 28.	-	10.	-	eum	-	id.
- 29.	-	13.	-	systsmatis	-	systematis.
- 31.	-	9.	-	eommunis	-	communis.
- 36.	-	12.	-	eum	-	id.
- 36.	-	15.	-	ortam	-	ortum.
- 42.	-	9.	-	studet	-	student.
- 51.	-	13.	-	maturitats	-	maturitatis.